

R. K.  
357, 6

L. B. V. D.  
De

(X 190 4474)

II M  
619

# Coralio, Balsamo & Saccharo,

PRÆSIDE  
VIRO CLARISSIMO,  
DN. M. GEORGIO CASP:  
KIRCHMAIERO,  
Facult. Philosoph. Adjunct.

meritissimo,  
Wittebergæ ad d. Junj A. M. DC. LXI.  
Publicè disputabit

LAURENTIUS JOSEPHUS FREY  
Onoldinâs Francus.

H. L. Q. S.

Exprimebat MATTHÆUS HENCKELIUS  
ANNO M. DC. LXI.





Corasio, Balthasar

&

Saccharo

PRÆSIDII

VIRI CARISSIMO

DM. M. GREGORIO CASP.

KIRCHMÄSTERO

Facult. Philol. Adjung.

honoratissimo

V. Weidbergstraße, Jul. A. M. DC. LXXI

Publicis h. h. h. h. h.

L. A. R. R. E. N. T. I. U. S. J. O. S. E. P. H. U. S. T. R. E. Y.

Ordinarius Francus

H. L. S. 2.

Exp. Imp. MATTHEUS FRANKLINUS  
VIRI M. DC. LXXI







Prælude.



Elitias nature, divinum salutamus ani-  
 mal. Hominis ipsius verò delitia, Cora-  
 liorum, balsami, Saccharorumque pre-  
 tiositates, lucundum est, deliciarum deli-  
 tias, quas, qui emunt, venduntque, ma-  
 gnâ explicant ambitione, contemplari.  
 Sancta hæc nostra ac innocens voluptas,  
 locum in illo quoque habitura quæ fuisset statu, ubi malum  
 exul erat omne. Nunc verò quid suavius oculis, corallo?  
 Quid saccharo amabilius, lingua? Quid olfactui convenien-  
 tius, balsamo? Si uspiam, hic sanè per extrema certat de pri-  
 matu excellentissimarum dotum, benigna mater. Discors hæc  
 concordia & discordia concors si à quoquam appelletur, nec  
 præter rationem fiet, nec iudicio iudicium carebit. Sed rem  
 putemus ipsam.

CAPUT I.

De

CORALIO.

§. I. Nomini si inhærendum, pauca dabimus. Coral-  
 lium communiter scribunt, sed nullo orthographias privile-  
 gio. Corallium scribendum. Quanquam, quâ hîc licentiâ usus  
 Claudianus fuerit, dum cecinit:

*mergit se subito, vellitq; Corallia Clotho,*

non ignoremus. Κοράλιον, & κοράλιον, nonnullis quasi χειρά-  
 λιον, ὅθεν τὴν χεῖρα, quod manibus tactum lapidescat, dici-  
 tur. Quò, ni fallor, respiciens Naso, modulatus est:

*Sic & Corallium, quo primùm contigit auras,*

*Tempore durefcit: mollis fuit herba sub undis.*

A

Idem

lib. XV.

meta-

morph.

fab. 41.





## Idem alibi Poëta scribit:

lib. 4.

Met. fab.

18.

In origg.

L. L. p. m.

370.

*Nunc quoque coraliis eadem natura remansit;**Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodq;**vimen in equore erat, fiat super æquora saxum.*

Becmanno non ineptè à mari dici posse visum est : quasi κόρη, κώρη, ἢ κῆρⓄ ἀλός, id est, pupilla, aut quædam quasi virguncula maris, scilicet à formâ. Eidem favet derivationi super Ovid. Metam. comment. Sabinus. Aliis τὸ κῆρ, quasi cor maris, quòd analogiam cordis exprimat quodammodò & ex decreto medicorum, vigorem cordis, roborat, deducitur. Quisque quod volet, eligat : medium ad palatum nobis etymon. Synonyma sunt, ubi lithodendron, quasi lapid-arbor, frutex marinus, arboreusq; lapis audit. Ad ambiguitatem vocis pertinet, quando nunc pro arbore ipsâ, velut causâ, nunc pro arboris fructu, utpote effectu sumitur. De utroque sermo quidem nobis ; sed distinctus de distincto.

lib. 32.

Hist. Nat.

c. 2.

§. II. Quod naturam Coralii igitur concernit, præstat Plinii, quàm propriis eam depinxisse verbis. *Forma, ait, est ei fruticis, color viridis. Bacca ejus candida sub aquâ, ac molles : Exemptæ confestim durantur & rubescunt, quasi corna sativa, specie atq; magnitudine. Ajunt tactu protinus lapidescere, si vivat : Itaq; occupari, evelliq; retibus, aut acri ferramento præcidi. Hac de causâ curalium (ὅτι ἐν ἀλὶ κηρεῖται, quòd in mari tondeatur scilicet, notante Doctissimo Viro Dalechampio) vocitatum, interpretantur. De patria coraliorum verò hæc refert : Gignitur quidem, & in rubro mari, sed nigrius item in Persico, vocaturque Jace : Laudatissimum in Gallico sinu, circa Stoechades insulas, & in Siculo, circa Helian ac Drepanum. Nascitur & apud Gravisas & ante Neapolim Campanie, maximeq; rubens, sed molle. Hæc Plinius : qui tamen mala bonis, vera falsis miscet.*

§. III. Sapientis est, nec temerè quæquæ credidisse, nec vulgaria sequi dogmata. *Forma, inquit, est ei fruticis. Figuram & extrinsecam partium respexit habitudinem : sentiendo meliùs quàm loquendo. Sub plantarum genere interim, coraliarum arbor continetur. Species plantarum duæ sunt : Herba scilicet & arbor. Errant qui tertiam interserere speciem con-*

nan-



nantur, fruticem. Frutex quid, nisi arbor parva? ab arbore ergo non nisi diuturnitate magnitudineq; differt. Magis & minus autem speciem non mutant. Eat Cardanus, qui præter herbam, fruticem & arborem, Suffruticis etiam adulterinam speciem substituit. Retinenda igitur διχοτομία est, tum quia facilis & adequata, tum quia divinis consentanea oraculis. Ita enim gloriosus Conditor: *Germinet terra germen, herbam producentem semen, arborem fructiferam.* Ac mox: *produxit terra germen, herbam producentem semen, juxta speciem suam: Et arborem facientem fructum.* Quomodo-tamen-cunque senserit fortè Plinius: *arbuscula est corallium: fructus ipse verò gemmis lapidibusvé propter duritiem illicò accenseri, jure nullo potest, quod post Theophrastum lib. τῆς τῶν λίθων, alii fecerunt.*

lib. 8. sub-  
til. f. m.  
231. & seq.  
Gen. I. 11.  
12.

§. IV. Baccas ejus candidas & molles sub aquis esse, exemptas verò durari demum ac rubescere, nec Plinio, nec aliis, jurantibus etiam, crediderim. Nimirum tres coralliorum differentia: *rubrum, nigrum, album.* Præstantissimi commatis est rubens, rutilantem ejaculans splendorem. De nigricante non dicam. Nec ergo candida tantum, nec ut plurimum, coralliorum baccæ. *Falsum verò oppidò ac plebejum est, passim quod de coralliorum sub aquis mollitie, & induratione extra aquas circumfertur commentum.* Animus ad indagandum mollis & ad expilandum fortè induratus, sic sentiat. Equidem Ovidius canit:

*Sic & corallium, quò primum contigit auras  
Tempore durefcit: mollis fuit herba subundis.*

Hunc secutus Plinius est, ut Poëtam, pictor, pictorem anus. Videat Cardanus, quàm vera sint, quæ scripsit: *Concrefcit & duratur aëre, (Corallus scilicet, ut ipse loquitur) postquam è mari extractus fuerit, quoniam aër, quod tenue est illius humidum siccatur, & frigus etiam partes cogit: Refrigeratur autem ab aëre, etiam estate mediâ &c.* Alii hanc depromunt causam, quia plurimum Salis & succi lapidescentis huic plantæ inest.

lib. 7. sub-  
til. f. 211.

§. V. Ita igitur neglectâ questione an sit; ad quid sit ac rationes, nescio quas & quantas liberaliter confugiunt non





Lib. 2. de  
gemmis c.  
19. p. m.  
230.

pauci. *Franciscus* certè *Rueus Insulanus Flander*, majores omnino meruisset gratias, si & inter gemmas corallium, & sequentia non posuisset: *Corallium* & *lithodendrum* appellari invenio, quod arboreus lapis adpareat. In mari mollius primùm crescit, inde verò duratur. Cumq; sub aqua quidem vireat, statim atq; hanc superavit, rubescit. Et mox: *Diversam*, ait à ferro ignito, naturam, corallium exhibet: Illud namq; ut aqua, ita & hoc molliore aëre illicò duratur. Credita hæc per annorum, quin imò seculorum decursus plurimos fuere. Et mirari liceat, exercitatum *Virum Dioscoridem* in eodem pertinaciter hæsisse luto, lib. 5. c. 139. Veruntamen quam hæc & similia mereantur fidem, docebimus non ex *Poetis*, *Plinio* item & facillè credulis, sine ratione, mentibus; sed verò optimis rei hujus scrutatoribus & testibus, asserta communiemus nostra.

§. VI. *Generosus Dominus, JOH. BAPTIST. de NICOLE, Eques Marsiliensis, & Regius, Piscatoris Coraliorum, in regno Thunetano Præfectus* bonâ confirmavit fide: Quòd, cum anno M. D. LXXXV mense julio, in mari *Bizertino*, regni *Thunetani*, piscationem instituisset: cupiditate naturæ coraliorum in vestigandæ ductus, juvenem, funibus sufficienter longis, alligatum, & pondere viginti quinque librarum in utraque manu, ad descensum tutiorem & comodiorem libratum, in mare istud, centum perticas profundum demiserit, ipsiq; in mandatis dederit: corallium evelleret, & inter evellendum, curiosè attenteq; observaret; mollene an durum esset? Qui ubi rursus ascendisset, utraq; manu coralli ramum attulerit, constanterq; asseruerit: *Illud non minus sub mari, quam supra illud, durum esse*: seque cum ad octo perticas, aut circiter prope fundum maris adpulisset, magnam ibi frigoris vim sensisse. Immo, quod ipsemet etiam, dum relationi fidem adeò non haberet, in mare, cum retia, quibus coralia piscari solent, extrahenda essent, antequàm in ipsum aërem efferrentur, ad profunditatem unius perticæ, sese immerferit, & corallium retibus adhærens, manu prehenderit, idq; tum equè durum, ac cum jam aëri externo esset expositum, observârit.

§. VII.



§. VII. Retulit quoq; *Nobiliss: Nicole*, quod vernali tem-  
 pestate, quâ aliàs coraliū evellitur, liquor quidam lacteus,  
 ex eo, inter frangendum, emanarit: qui decidens super lapi-  
 dem, lignum, ferrum, aut aliam materiam, coraliū produxe-  
 rit. Vidisse insuper se, in *κειμηλιαρχίω Pisano*, *Magni Ducis He-*  
*rrurie*, hominis defuncti cranium, ex quo, in mari, magnus co-  
 ralii excreverit ramus: anchoramque è mari extractam, in qua  
 multi coraliū rami, è liquore ipsorum prognati observa-  
 bantur. Idem planè suis stabilivit experimentis *Dn. de la Pio-*  
*tier*, *Nobilis Lugdunensis*, qui anno clō Ioc. XIII. ab istius mo-  
 di coraliū piscatione, è Barbaria reversus est. Videatur  
 omninò hanc in rem *Johannes Beguinus lib. 2. Tyr. Chym. c. X.*  
 cui talia quoque ab inventoribus communicata, leges.

§. VIII. *In mari rubro*, quod coralia gigni memoravit  
 Plinius, non inutilem disquirendi materiem suppeditare for-  
 sitan videri poterat. Quæritur enim perquam curiosè inter  
*Geographos, Philologosq;*: unde & quâ ob causam ἐρυθρὰ θάλασσα,  
 mare rubrum vocitetur. Et plerique quidem [*verba sunt Joh. lib. de mi-*  
*Euseb. Nierembergii, Physiologi Madritensis*] id tribuunt coral- raculosi  
 liū multitudini. Est enim, pergit, memorabile, quod Bre. natur.  
*dembachius narrat, propè Memphim esse lacum, qui singulis annis terra pro-*  
*rubescat instar Sanguinis.* Sed neque rubrum mare illud, neque missa c. X.  
 denominationem quoque suam à rubore quodam coraliū f. 501.  
 rum arenarumve est sortitum. Quantò rectiùs proinde *Nobi-*  
*liss. Dn. Breuning* in *Itin. Orient.* veluti αὐτόωτης testatur: Das  
 Schilffmeer ist an der Farbe nicht mehr roth/ als Pontus Euxinus  
 bey Constantinopel schwarz ist. Conf. *Nicol. Fullerus IV. Mis-*  
*cell. XX. Et D. Erasmus Schmidius Noster, commentar. posthum.*  
*super N. T. cap. Ebr. XI. fol. 1332. Derivatur, inquit, à nomine pro-*  
*prio, substantivo ἐρυθρὰ θάλασσα. Ο Ερυθρεας enim vel Ερυ-*  
*θεαῖς fuit filius Persei & Andromeda, & ad illum oceanum lon-*  
*gè lateq; imperitavit, ibidemq; ad promontorium Carmanium, cu-*  
*jus Dionys. Afer vers. 610. meminit, in Insula og yri sive Organa, se-*  
*pultus fuit, ut testatur Strabo lib. 16. Plinius lib. 6. c. 23. Dionys. Afer,*  
 § 611. &c. Cætera, quæ de patrio coraliū loco recitavit  
 Plinius, cum experiētiâ nitantur, sibi constant.

A 3

§. IX.



§. IX. Egregiæ interim coraliis (quanquam nobilitate  
 ignobilitateque differant) qualitates competunt. Occultæ  
 verò sunt: ut ecce quando *cor cerebrumque* roborant, *mentem exhi-*  
*larant, spiritus contemperant, morbo comitiali adversantur.* Car-  
 danus lib. 7. subtilit. de lapid. f. 211. Dignissima notatu coralio-  
 rum cum corde sympathia intercedit, si vera sunt, quæ de pal-  
 lore eorundem, ubi malè se cor habet, nostræ narrant muli-  
 erculæ. Modò certitudo subsit, neque absurdum id, neque  
 sine exemplo factum. Hinc de coraliorum preciositate Histo-  
 riæ Naturalis Scriptor, citato supra loco, inquit: *Autoritas bac-*  
*carum ejus, non minus Indorum viris quoque, pretiosa est, quam fœ-*  
*minis nostris uniones Indici. Aruspices eorum vatesque, imprimis re-*  
*ligiosum id gestamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque &*  
*decore & religione gaudent. surculi infantie adalligati, tutelam*  
*habere creduntur. Contraque torminum ac vesicæ & calculorum*  
*mala, in pulverem igne redacti, potique, cum aqua, auxiliantur. Si-*  
*mili modo ex vino poti, aut si febris sit, ex aqua, somnum afferunt.*  
*Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine sæpius potu, tradunt*  
*lienem quoque, absumi. Sanguinem rejicientibus exscreantibusque*  
*medentur. Cinis eorum spissat ac refrigerat. Ulcerum cava explet,*  
*cicatrices extenuat. De his autem quid sentiendum fiet, pro-*  
*lixè videndus Beguinus, loco ante allegato erat. Ridemus*  
*nos Francisci Rueti superstitionem, dum infensos Dæmonas*  
*arcere coralia existimat. Ut hinc, addit, suspicandum sit, pruden-*  
*tem vetustatem, coralio per diversas formas effigiato, & ex ordine*  
*infilato, preces Marianas docuisse numerare.*

## CAPIT. II.

De

## BALSAMO.

§. I. Ut de voce constet; Balsamum arbor, Opobal-  
 samum succus, (ἀπό τῆς ὀπίας) carpobalsamum (ἀπό τὸν καρ-  
 πὸν,) fructus, Xylobalsamum (ἀπό τῆς ξύλης) surculus ac cortex  
 est & dicitur. Teutones, Latini, Græci, Arabesque, quæ nomen, con-  
 veniunt. Fluxit verò, si *Becmanno* non temerè hîc conjicienti,  
 auscultemus, ab Ebræâ combinatione vocum בַּאֵל בַּשָּׁמֶן baal  
 sche-

in Orig. g.  
 L. L. p. m.  
 279.



schemen) propter eximiam, ut idem ille loquitur, nobilitatem. Est enim reverà Dominus seu princeps olei. Atque, ut Plinius ait lib. 12. H. N. c. 25. omnibus odoribus præfertur. Sic, ut Exod. 30. 23. omnium aromatum præstantissimum dicatur. Bahal verò, dominatus est, (unde Bahal, Dominus nimirum, & idoli nomen, quod Domini Numinisque instar, Judæorum Idololatræ venerati sunt, descendit) Schaman verò, pinguis fuit, inde  $\text{𐤁𐤍𐤃}$  oleum, pinguedo, &  $\text{𐤁𐤍𐤃}$  pinguis, Latinorumq; Scammonia, herba pinguis ac racemosa oritur) significat. Sed de his alibi. Nos Balsamum ipsum & opobalsamum subodorabimur.

§. II. Oritur verò non proletaria, in limine instituti nostri, quæstio: Utrum in natura rerum superstes adhuc sit prisca & genuina nota balsamum ac opobalsamum? Pro negativa etenim sententia adduci poterant Petrus Martyr, Anglerius à Patria dictus, Orator Ferdinandi & Isabelle, Hispania Regum Consiliarius, ex suis, quas scripsit, decad. de rebus Oceanicis & Novo orbe, & antiquum Josephi Pliniique documentum. Anglerium secutus Hieronymus Cardanus fuit, dum contra balsami ulteriorem existentiam in sequentia rescripsit: Erat & olim balsamus in pretio. Constat fuisse arbustum sansuci quidem folio, atque ex eodem genere ferme nec ulla res ei propior, Jasemino, planta non valdè absimili. Sed periisse arbusta omnia penitus affirmat Petrus Martyr, Angerius civis noster, legationis vice functus, pro Regibus Hispanorum, apud Sultthanum Ægypti Dominum, annis abhinc penè quinquaginta. Referunt alii adeò propagatum, ut passim in hortis Chairi habeatur. Sed cur Angerius (an repetitâ vice vitium typographi fortassis? Anglerius enim ab Anglaria vel Angleria Insubrum, in agro Mediolanensi, urbe dictus est.) Regibus suis, quibus opus inscribit, mentiatur, aut in re tanti momenti oscitaverit, non video. Illud satis constat omnium testimonio, etiam eorum, qui propagatum esse volunt, jam ab eo tempore, neque fructum neque lignum, nedum succum illum celebratissimum ad nos deferri. Unde verum balsamum interiisse existimandum est, suppositum verò, ejus loco, plantam aliam, incolarum ambitione, vel avaritiâ.

lib. 8. subtilit. de plant. fol. 249.

§. III. Plinii





lib. XII.  
Hist. Nat.  
c. 24.

§. III. Plinii autem verba ideò adversari nobis videbantur, quòd ille, *uni*, inquit, *terrarum Judææ concessum balsamum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum XX. non amplius, altero pauciorum.* Et verò ex Josepho constat, nobilissimam hanc plantam à Judæis tempore belli, ab exercitu Romanorum Impp. deletoriè ipsis illati, extirpatam radicitus & evulsam fuisse. Tantum quippe bonum Romanis Apellæ invidebant. Quo sensu arbitror accipienda etiam Plinii sequentia: *Sevière in eandem Judæi, sicut in vitam quoque suam.* His similibusque tamen nequicquam obstantibus, pro superstitie balsamorum genuinæ notæ, existentia, & pugnabimus nos & objecta facile amoliamur impedimenta.

§. IV. Atque ut cum Anglerio primitus congregiamur, testimonium ipsius, non suspectum tantum, sed falsum penitus ac fabulosum est. Suspectum quidem, quòd ideò tam magni à Cardano æstimatur, quoniam profectum à *Concive* primum, post à *legato* quoque fuit. Quid verò non suggerit contra veritatem etiam, patriæ amor? Et quæ hæc collectio est: Orator Legatusque fuit: Ergo vel errare, decipi aut ignorare plantam non potuit. Ex fine labores judicandi. *Legatum*, nî fallor, agere, non *Botanicum*, Anglerius volebat. Aut à fallacibus & ad mendacia natis Arabibus, rumore specioso seduci fortean haud potuit? Prodeat contra Anglerium, *Illustrissimus Princeps NICOLAUS CHRISTOPH. RADZIVILIUS*, qui anno 1582 (postquam diu ante, Anno scil. 1501 & 1502 Ægyptiam illam obiisset legationem Martyr) ex Polonia egressus, Venetiisque Anno 1583. solvens, peregrinationem Hierosolymitanam iniit, Ægyptum lustraturus, insimulque non obscure tradidit, balsami liquorem, usque ad illud fermè tempus, quo in Ægypto ille erat, perdurasse.

lib. 1. de  
miraculo-  
sis naturis  
in Europ.  
c. 79.

§. V. Verba ejus, à *Job. Euseb. Nieremb.* adducta hæc sunt: *arbor hæc ( ficum Pharaonis indigitat ) sita est in horto, in quâ balsamum proveniebat, cujus etiam extant plantule, duos circiter cubitos alta, sed exaruerunt omnes.* Nam *Assan Bassa*, prædecessor *Imbraimi* hujus, qui meo tempore provinciam administrabat, Æthiopem quendam, qui curam Balsami habebat, quòd magnam pecuniæ vim



vim collegerat, prefocari iussit: Quo factum est, ut nullo, qui arborum ejusmodi curam gerere nosset, reperto, penitus deperirent. In felici tamen Arabia, Imperatore Solimanno procurante, balsamum in copia provenit, ex hoc horto ut plurimum transplantatum, quod etiam Mecchâ, per Caravanam advehitur, cuius mecum bonam quantitatem asportavi. Hæc Radzivilius Princeps. Cardano verò tam scitè quàm accuratè Antagonista Scaliger respondet: balsamū desisse ais. Item ais: parvo esse in pretio. Quorum utrumque vanum est. Nam & apud Maximilianum Cæsarem, multum, & nonnihil apud patrè meum vidimus, ex ipsis allatum locis, purissimum. Nec parùm apud Carolum, Sabaudie Ducem, felicissimo, ad ingens vulnus, cujusdam equitis in inguine, successu. Et hæc cicatrix, que mihi sub oculo laevo est, vix, maximi periculosissimi que vulneris ostendit vestigia, non alio, quàm balsami auxilio. Quod mihi miserat Heroïna excellentissima, spectatissime que tum pulchritudinis tum virtutis, Agnesina Soleria, cujus ego hostes in campis patentibus haud semel victos, atque profligatos, ex illius primùm, deinde è suis castellis, atque oppidis exegeram. Miror etiam te Jesemino Balsamum comparasse: cum ei rutaceas frontes ascripserit Theophrastus. Quid igitur suspicabor? A Plinio non accepisti. Justinus de hoc nihil. Strabonem haud memini &c.

Exercit.  
157. sect. 1.

§. VI. Sed & quod maximum est, ad hunc usque diem mos obtinet, ut Arabum quidam princeps, Seriph dictus, (quo nomine, omnes, qui à Mahomete, familiae suæ originem, instrumento comprobare possunt, insigniuntur) dum Mecchæ, civitati primariæ & Pseudoprophetæ sepulturâ nobilitatæ præest, tempore solennium sacrificiorum, Imperatori Turcico quotannis, opobalsami pretiosissimi tres quatuorve libras exhibet: & muneris loco à Turcâ accipit Chlamydem auratam, pro filiis verò ac fratribus, centum & quinquaginta aureorum millia. Idem ille Seriphus, Præfecto Cayrino annuatim, libram unicam, peregrinorum duci, selibram: aliisque duobus ducibus, (quorum alter peregrinis Damasco, alter ex Arabiæ felicis locis, Meccham & Medinam proficiscentibus adjungitur) particulam opobalsami donat. Vid. post Cuspinianum & Petr. Bellonium, imprimis Prosper Alpinus, velut oculatus testis, in, de bals. Dialog. c. 2. & 3. item que lib. de plantis Ægypt. c. 14. & seqq.

§. VII. Josephi vero & Plinii quantum valoris obti-

B ne-





neant documenta, facile, ut spero, ostendemus. Atque *Josephus* quidem conditionatè saltem extirpatam à Judæis balsamiferã arborem refert: nisi scilicet ab instituto, per milites depulsi invidi fuissent. Et expressè *Plinius* citato loco: *Contra, inquit, defendere Romani, & dimicatum pro frutice est.* Idem ab initio jam dixerat: *Clarumque dictu, à Pompejo Magno: In triumpho quoque arbores duximus. Servit nunc hæc & tributa pendit cum sua gente.* Taceo, stultam, de ullius speciei corporum naturalium interitu, formidinem esse, ac haberi jure posse. Præterea falsò dixit *Plinius: uni terrarum Judææ concessum esse balsamum.* Ego verò *Diodori Siculi, lib. 2. Biblioth. Hist. Strabonis lib. 16. Geograph. & Pausan lib. 9. Beoticorum,* auctoritate & experienciã, testimoniis indubitata conciliante fidem, fretus regero: *Unam Arabiam optimum, spontè etiam proferre balsamum.* Judæam quòd attinet, in eandem, per Sabæam Reginam ex Arabia, Balsami plantam, Regi Salomoni dono primùm collatam, atque ex ea reliquas, deinde propagatas, è *Josepho,* rerum Judaicarum Scriptore, cum antiquissimo tum diligentissimo refert *Experientissimus Kir Michaël Döringius, in, de opobals. diatrib. c. 2. p. 8.*

§. VIII. Nunc evictã balsami existentiã adhuc superflite, naturam plantæ introspeciemus penitiùs. Non malè, si ordinem excipias, eam, *Naturæ Panegyristes,* (quo *Plinium titulo Muretus* mactat, volum. 2. orat. 13.) sequentibus depinxit: *Viti similior est, quàm myrto. Malleolis feri dicitur. Tondetur similiter fruticans, ac rastris nitescit, properatque nasci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum rutæ perpetuã cornã. Proceritas intra bina cubita subsistit. Arbori tria genera. Tenui & capillaceã cornã, quod vocant eutheriston. Alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius: Hoc trachy appellant. Tertium eumeces, quia est reliquis procerius, levi cortice. Huic secunda bonitas, novissima eutheristo. Semen ejus vino proximum, gustu, colore ruffum, nec sine pingui: pejus in grano quod levius atque viridius. Ramus crassior, quàm myrrho, inciditur vitro, lapide, ossisve cultellis. Ferro lædi vitalia, odit. Succus è plagã manat, quem opobalsamũ vocant, suavitatis eximia, sed tenui guttã, ploratu, la-*

ndozolaz rnuasup nait s orvinqdol. LIV a nis



nis parvâ colligitur in cornuâ. Et sarmenta quoque in merce sunt. Amputatio ipsa furculusquè venit intra quintum demum annum. Xylobalsamum vocatur & coquitur in unguentis. *Præcipua gratia lacrymæ est, secunda semini, tertia cortici, minima ligno.*

§. IX. In ordinem ut redigamus negotium, describe- mus cum Dn. D. Döringio balsamum; *arbusculam viticosam, altitudine ligustri vel cytisi, foliis paucissimis, rute proximis, colore ex viridi & albicante misto, perpetim virentibus, ramulis longis gracilibusq<sup>3</sup>, moderate crassitiei, gummosis, digito pertinaciter ad- harescentibus & flore albo, exiguo quidem, sed summè odorato con- stantem.* Arbuscula quòd dici queat, ex eo claret, quoniam extra Arabiam etiam, ipsius proceritas *intra trina* ( Plin. bina solummodò definit ) *cubita subsistat*; in Arabiâ verò, ad Cytisi Therebinthi altitudinem vel paulò altius assurgat, teste, apud Alpinum, *Abdellâ.* Turpiter autem *Justinus* erravit, qui Piceæ arbori, Balsamum assimilavit. Viticosam esse, ramuli viticosi ac sarmentosi, & vitium more tonsiles quotannis, probant. Si quis proximè ejus describere foliâ velit, *amaracum* cogitet. Verè enim Pausanias: *balsamum foliis Amaracinis esse*, scripsit; sed hæc tamen non de illis balsami intelligenda seminibus sunt, quæ bina folia viti non absimilia habent, verùm quæ post hæc, tria, quatuor vel quinque, sine ordine protrudunt. Variat nimi- rum pro ætate, foliorum & numerus & habitudo. Series folio- rum illa ferè, quæ in rosis, fraxino, nuce & similibus deprehen- ditur arboribus. D. Döringius scribit: *Extimam alam sine pari occupat folium, cæteris grandius: ab hoc reliqua sequuntur, nervo utrinque insistentia, sensim minutiora, ut in ruta.*

§. X. Liquor ipse Balsamæus, Therebinthinæ instar fla- vus, fragrantissimique, sed tamen ob spirituositatem citò exha- lantis est odoris, saporis subamari; sudans ex arbusculæ tum fruticibus, juxta corticem, leviter convulneratis, tum ex ramu- sculis amputatis. Inter olea universa nobilissimum, totoque decantatum orbe: utpote quod vires habeat abigendis morbis tam internis quàm externis, nulli secundas medicamini. Vulne- ribus, febricitantibus, phtificis, asthmaticis & quibus non aliis sive morbis sive morbidis medetur? *Conf. Schröder in Pharm. med. Chym. lib. 4. class. 2. p. 185.* Guttula aquæ tepidæ si immittatur, *per*



per omnem se extendit superficiem, ac rursus, aqua ad naturam  
pristinam redacta, sese contrahit. Lac, si ei instilletur, coagulat;  
in vestem laneam effusum, maculam, quod peculiare divino  
huic oleo est, nullam linquit. Distincta esse *balsamum, opobal-*  
*samum, Xylobalsamum & Carpobalsamum*, supra monebamus.  
Probationem ejus atque adulteria si voles, apud *Plin. lib. 12. c. 25.*  
deprehendes. Opobalsamum ipsum, aliud *Tolutanum* aliud *Pe-*  
*ruvianum*, aliud *Arabicum, Europaeum aliud, aliud Judaicum.*  
De Tolutano videatur l. c. *Schröderus*, de Americano, prolixè  
*Nierembergius, lib. 15. Hist. Nat. cap. 97. f. 369.* De reliquis verò  
*D. Döringius* in laudatà superiùs diatribè sect. 2. ferè per totum.  
Nos cum studeamus brevitati, monstrare, non exhaurire fontes  
conabamur. Nunc bellariorù loco, saccharum ex parte etià gu-  
stare placet.

## CAPUT III.

De

## SACCHARO

Lib. 2. rer.  
memorab.  
recens in-  
vent. tit. 5.  
p. 287.

§. I. Saccharum, quod *Zuccara* Arabes (& simili ferè  
sono Germani) *Graeci σάκχαρον*, *Galli Sucre*, *Itali Saccharo*, *In-*  
*di Saccar* vocant, & quo nos hodieque utimur, *utrum priscis no-*  
*tum fuerit*, anceps omninò quaesitum est. Quà in re utendum  
(*ut ex Guidone Pancirollo Henricus Salmuth loquitur*) distinctio-  
ne erit, quam adhibuit Leonhardus Fuchsius lib. 1. de composit.  
Medicam. cap. 10. & lib. 1. paradox. Medicin. c. 35. Saccharum  
enim à Fuchsiò duplex constituitur: *Veterum & Recentiorum.*  
Illud duùm quoque generum. *Unum* nihil aliud, quàm quaedam  
mellis species putatur, unde & de isto inter mella, veteres lo-  
quuntur. Nam & Dioscorides & Galenus & Plinius unanimes  
scripsère, Saccharum esse mellis, in calamis concreti, genus, in  
Indià pariter & Arabià felici inventum & advectum inde. *Alte-*  
*rum* genus Sacchari: Vetustis familiare Scriptoribus, ex arun-  
dinum radicibus exprimebatur. Eiusdemque vel in cibo vel  
potu, mellis loco, usus fuit. Hinc mel cannae à *Mauritanis* no-  
minatum. Illa Pliniana Simia, Solinus, cap. 65. de India agens,  
inter alia sic scribit: *Quae palustria sunt, arundinem creant, ita*  
*crassam, ut fissis internodiis, lembi vice vehtent navigantes. E*  
*radicibus ejus exprimitur humor dulcis ad melleam suavitatem.*  
Galenus quoque l. 4. de simplic. Medicam facult. c. 24. *arundi-*  
*num illarum* in Ægypto nascentium, unde *melleus ille humor* ex-  
primebatur, meminit.

§. II.



§. II. *Recentiorum* Saccharum, Succus est, è plantæ pro-  
 bè contritâ expressus, calore ignis plus minusvé excoctus, coa-  
 ctus atque defœcatus. Saccharum proinde nostrum, veterum  
 longè perfectius, purius nobiliusque est, atque ideò ab illo dif-  
 fert, *Efficiente, loco, usu, puritate.* Antiquitùs enim sine adju-  
 torio artis, eâ usurpabatur ratione, dulcissimus saccharorum li-  
 quor, quâ eum naturâ propinaverat mortalibus. Nostrates  
 verò naturam arte adjuvantes, nobilitatem ejus geminârunt.  
 Veterum Sacchar in Indiâ & Arabiâ felici tantùm ex arundini-  
 bus & foliis manare observabatur. At nostrum, in Sicilia &  
 Fortunalis Insulis, magnâ ubertate provenit. Rarus olim, ru-  
 dis & ad medicamina potior usus sacchari erat; qui nunc ad gu-  
 læ potissimum adhiberi delicias consuevit. Vetus illud impu-  
 rum sordidumque quodammodò; at nostrum defœcâtum, can-  
 didum, delicatius, consummatius. Specie verò ab antiquo, re-  
 cens non differt, nisi habitâ accidentium varietate quâdam; ac  
 proinde veteres non latuit omninò.

§. III. Varium ob id Saccharum fiet, potissimùm verò  
 propter regionum diversitatem & præparationis multiplicita-  
 tem. Quò enim frequentius decoquitur, eò evadit candidius,  
 purius, solidius. *Laudatissimum* censetur, quod *candidissimum,*  
*durissimum, solidius, leve, scintillans, splendens, arctissime coha-*  
*rens.* Placet cum *Sebizio* Saccharum univèrsim, in *nativum* fa-  
 ctitiumq; distribuere. *Nativum* ab antiquis etiam descriptum, *lib. 2. de a-*  
 liquor est, *qui in Indiâ & Arabiâ felici, in arundinibus Sacchari-* *liment. fa-*  
*nis invenitur, gummeus, candidus, dentibus fragilis, circa arundi-* *cult. p. 500.*  
*nes ad magnitudinem avellanae circiter coagulatus, calore solis eli-*  
*citus, vel sponte ob luxuriam exstillans.* Factitium à magistrâ  
 elaboratur manu, quæ, dum arundines incîdit, succum exprimit,  
 ad justam consistentiam cogit, & in turbinatas transformat me-  
 tas; estque vel *concretum* vel *liquidum.* Concretum aliud *pyra-*  
*midale, miscellaneum* aliud, aliud *candum* & *penidium.* Ex Pyra-  
 midali prostat *Maderense, Canarium, Finale, Melisium, Thoma-*  
*um.* Pyramidale quidem à pyramide, cujus figuram refert, no-  
 stratibus ein *Zuckerhut* / dicitur.

§. IV. Maderense ab Insula Madera nomen trahit,  
 adfertur ex Lusitania, reliquisque sacchari generibus præfer-  
 tur. *Canarium seu Canariense* ab Insulis Fortunatis vel *Canariis,*



2058  
25  
The  
619

riis, inter Africam Americamque sitis, dicitur. Hoc candi-  
dissimum, purissimum, & post Madariense, præstantissimum.  
Ubi notabile est, quod Hieronym. Benzo Tom. 4. Nov. Orb. f. 239.  
de cannarum sacchariferarum Hispaniolæ, primo plantatore  
molarumque saccharinarum inventore refert: Da Hispaniola und  
andere Inseln sind eingenommen worden / da haben etliche Spanier Zuckerröhren aus den Inseln Canarien dahin gebracht / und sie gepflanzt.  
Aber der allererst ist gewesen ein Baccalaureus juris, Consalvus de Valoso  
genennet / welcher mit Zuckerröhren umgegangen / und sein Gewins da-  
mit getrieben hat / ob schon andere zuvor den Saft daraus gedruket hat-  
ten. Denn dieser hat auff seine eigene Unkosten Zuckermacher aus der In-  
sel Palma beruffen / und eine Mühle / darinnen man die Zuckerröhren zer-  
mahlet / bauen lassen an dem Ufer des Flusses Nigua. Darnach haben viel  
seinem Exempel nachgefolget. Molas ipsas quoque ac modum exprimendi,  
coquendi & figendi saccharum, prolixius loco allegato Mediolanensis explicat.

§. V. *Finale vel Valentinum*, à Valentia, Hispaniæ ur-  
be, in qua conficitur, dictum, ex Canario optimè despumatur,  
lento, ad debitam consistentiam adhibito, igne. *Melissum seu*  
*Melitæum*, Melis oder Speißzucker à Malta Insula denomina-  
tum, mediæ, inter Canarium & Thomæum, est præstantiæ: Tho-  
maum verò seu *Thomasinum* (Thomaszucker,) ab insula occi-  
dentalis Indiæ, cui S. Thomas nomen cesit, appellatum,  
quia in flavedinem rubescentem à candore deviat, & liqua-  
tum, plurimas relinquit spumas, ignobilius est. *Miscellaneum*  
seu *confusaneum*, vulgò Cassaunzucker) ex fragmentis saccha-  
rorum farrago est. Atque ideò cum ex quisquiliis, fragmen-  
tisque colligatur, minimà præditum nobilitate. *Candum* sive  
*candidum* crystallinumque dicitur, ZuckerCandit / Pharmaco-  
polis Aromatariisque multò usitatisimum, sed tamen gemi-  
num est: aliud *crystallo simile* ac candidum; *rubrum aliud*, & quia  
ex Thomæo oriundum, vilius. *Penidium* [Zuckerpenit] medi-  
cinale, & recentiorum inventum audit. *Ex liquidorum genere* est  
mel saccharinum & Melazium (Zuckerhonig und Zucker Syrup)  
simile melli liquido & syrupo: nihilque ferè aliud, quàm spu-  
ma ex saccharorum præparatione passim collecta. Plura qui  
desiderat, consulat. *Melch: Sebiz.* quo, (ut ex debito fatea-  
mur) in hâc divisione, nos adjuti multum fuimus: loc. supr.  
cit. Adjungendus quoque; *Scaliger est*, in exerc. 164. Et, qui de usu  
sacchari nō intèpestivè scripsit *Salmuth*, super *Guidon. Panciroll.*  
loc. cit. tit. 5. p. 296. & 297. Maturand<sup>o</sup> labor erat, nec politior è  
literaturâ, nec diductionè ampliorè, Respōsuri abituri-  
entis festinatio admittere videbatur. Meliora di-  
es, Deus ubi dabit, feret.



R.K.  
357,6

Cor

DN. M

Facul

*VWitte*

LAURE

Expri

mo

CASP:

unct.

LXI.

S FREY

us

II M  
619

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

